

30

GEORGII ERNESTI STAHL,
D. ET PROF. PUBL. ORDIN. FACULTAT.
h. t. DECANI,
PROPEMPTICON INAUGURALE
DE
DISSENSU
MEDICORUM.



X illis quæ curiosius

pensitata aliquam admirationem incutere possint, non postremum esse putamus, quod, cum Theologia, Jurisprudentia, Philosophia, ab antiquissimis usque temporibus sic satis honorabili loco inter vulgus habitat sint, Medicina, etiam ex antiquis usque monumentis male audivisse observetur; Cum tamen Medicinam ab ipsis Diis inventam, iisque qræsidibus gaudenter, crediderit antiquitas, quod non nisi cum Theologia ipsi commune esse poterat: Dum Jurisprudentia & Philosophia, manifesto magis ex hominum curiositate, estimatione rerum arbitraria, & existimatione de rebus, & ortum duxisse, & hisce fulcris inniti videantur. Ita enim non solum nata est dura illa Catoris sententia de Medicis, quæ illos etiam dolosæ ac insidiosæ, grassandi, & homines perdendi libidinis, insimulare non erubefcit: Quod quidem Porcio oriadscribi possit, per plures generationes vitia adeò infestari afflerto, ut quæ deessent, fingere mallet, (intentatae in Scipionem calumniæ exemplo,) quam tacere: Et Plimii, huic subscriptentis sententia: Nec non semipoti illius & jam in Cottabis occupati Sophista apud Athenæum scomma: quod exceptis Grammaticis, plerumque nihil stultius sit quam Medicus: Sed reperimus hujus contemnus atque male opinionis testimonia jam apud ipsum Hippocratem, tum hinc inde, tum loco illo de Rat. Viæt. in Morb. Ac: qui propterea consideratu eo dignior est, quod memorabilem etiam quandam causam adjiciat, quæ medicinam plebi merito despectam magis, quam suspectam reddat, nempe dissensum Medicorum; & mutuam methodorum, quas alteruter adhibet calumniam. Tota ars, inquit, magnam apud vulgum calumniam incurrit, adeò, ut nullam omnino medicinam esse arbitretur: Siquidem in acutis in tantum à se invicem dissentient artifices, ut quæ alter exhibit, veluti optima reputans, ea jam mala esse alter,

ex-

existimet &c. Sane vero non poterat quidquam aliud ex illa
se se ipsos mutuo prostituendi levitate, quam animi abjecti &
invidi stimulus, ad minimum in alterutro, aut, si utriusque
methodus parem sinistrum eventum natu*r*a esset, in utroque
par infictia, & tamen peritiam sibi arrogandi impudentia, sa-
tis probabili subsumptione inde colligi. Si jam hoc malum,
dissensu*n*s nempe mutui, causa & origo non magis, quam objec-
ti & effectuum dignitas consideretur, fieri non potest, quin
penitatis Medicæ scientia atque artis fundamentis, quæ ex-
perientiæ & Arte absoluuntur, quasi sponte resulteret, dissent-
entes illos aut plane falsa insimulatione inter se mutuo certare;
Aut rationis, vel experientiæ expertes esse, utrosque, aut al-
terutrum ad minimum. Sicut enim non semper succedit, ut
inter duas contrarias sententias alterutra sit vera; Quando vi-
delicet tota relatio, circa medium, nempe ab objectum circa
quod versari debet, non rectò instituta est: Ita fieri certe sub-
inde potest, ut neutra sibi mutuo oppositarum sententiarum sit
vera, sed vel media quedam potius locum habeat, vel si oppo-
sitæ illæ à tramite suo aberraverunt, nempe debitum verum
respectum ad suum objectum non retinuerunt, plane alia quam
hac via querenda si veritas. Præterea, in tam latè patente
medicinæ ambitu, & ab antiquis jam inde temporibus, plus
nudis experimentis, quam solidis rationibus superstructa arte,
vix aliter fieri potuerat, quin medicus, quantumlibet in una
quadam specie morbi curanda majorem peritiam asscutus,
in alia imo aliis speciebus, non æque peritus, tanto magis
deinde pateret adversariorum, sequioribus ejus successi-
bus in vigilantium exprobationi. Certè, uti multa alia sapien-
ter instituta memorantur apud Ægyptios suisse, ita in medi-
cina quoque laudem meruit illa consuetudo, qua vel singulis
morbis, proprii medici vacabant, vel ad minimum unus &
idem medicus non nisi paucis morbis tractandis admittebatur.
Interim ne à proposito nostro excidamus, indignum profes-
to est, si quis arti se se accingat, subsidiis ad illam pertinenti-
bus primariis posthabitatis. Medicæ artis subsidia rationem &

experientiam esse debere, notum est; Rationem, dixeris, omnes homines habent: Certe: Sed in scholis didicisse oportet, quid intersit inter potentiam & actum, inter dispositionem & habitum, inter habitum infusum & adscitum. Ita sunt, qui etiam brutis speciem aliquam, sive specimen rationis tribuunt; Nec sic male, sano sensu: Sed ab uno horum expectare quod ab altero, aut ab uno ex omnibus, quod ab homine, nempe habili ratione jam instructo, absurdum sit: Interim dari homines, rationis suae adeò usque negligentes, ut antequam illam colant, in multis occasionibus à brutis superentur, quis nescit? Sicut autem hæc in generalioribus rationis objectis, vera atque nota sunt, de ratione in genere minus exercitata; Ita est & illud certum, & magis quam expedit notum, quod etiam de reliquo sic satis exercita ratio, in proportione tamen ascendentे, nempe ubi majore comparationis farragine opus erat, subinde non tam per impotentiam, quam impatientiam atque præcipitantiam, & quidem non raro, haud mediocriter à scopo aberret, & quod ait Comicus: cum ratione insaniat. Experientæ non minor & potest esse & solet, defectus; & quidem, quod bene notandum, non semper absolutus, ut nempe planè nullam harum rerum experientiam habere potuerint tales: sed quām maximè in Praxi copiosa versati, vel per negligentiam, vel per præoccupationem, vel per antedictum iustæ comparationis subsidiorum defectum, nullum ex illa frumentum capiant: sed potius rationum & considerationum incurri, & in verba magistrorum jurati, eorumque quantumcumque etiam male cohaerentia commenta, pro canonibus, de quibus addubitate religio esse debeat, observantes atque venerantes, mortem potius, offream nempe illam, ex machina in ægrum profilientem, funesti eventus causam credere valerent, quām aliquem, ex melioris experientiæ defectu pullulantem, suum suorumque errorem. Ingens autem præterea experientiæ scandalum, & ab omni ævo, probabile est, fuisse, & hodienum sane quām maxime est, illa & rationis & circumspectionis experimentalis, aliquando inopia, aliquando inad-

ver-

vertentia, ut bonos etiā eventus, licet manifestò laboriosos, &
quod sanè commiseratione dignum est, tanto magis ipsos labo-
riosiores, communiter suæ arti imputare gestiant Medici, & è
talibus rebus experientias suas formare aut fovere: Cùm ta-
men vel leviter advertentibus animum, vel innumeris exem-
plis occurrat, quod illorum, qui vel diversa, vel nulla planè
medicatione utuntur, non solum æquè salutares, sed longè sæ-
pisimè & longè certior, & tranquillior, & brevior sit, pariter
omnino salutaris exitus, imò, & præsentiore, & constantiore
plenaria euphoria stipatus, quam qui iſtis artificiis, & Medici
peritiæ imputatis methodis resultat. Sanè verò plana est via,
omnem quæ in morbo accidit difficultatem, sive iſtius pericu-
losissimæ indoli, sive cuicunque malæ fortunæ adscribere; exi-
tum verò tandem, imò laboriosam eluctationem ex hisce ma-
lis, & vitæ ceu spolii reportationem, arti afferere: sed est pro-
fessò ea adeo jam extrita via, ut non solum hodie vestigia
ejus, internoscere appareat vulgus, sed etiam jam antiquitus,
indigitante hinc inde Hippocrate, præsensissime: longè præsen-
tissima verò hæc est occasio, qua Medicus Medicum notare,
& dissidendi, non tam ansam captare, quam rationem habere
possit. Gravissima interim est illa mortalitatis labes, ut comuni-
ter imprudentia impudentiæ in subsidiis habeat, & nemo odio-
sius quicquā & soveat & defendat, quam errores. Unde profes-
sò nihil familiarius est, quam ut illi, qui nullo rationis aut ex-
perientiæ laboriosiore apparatu subnixas, eoque ipso mira-
facilitate iſtis commendabiles viſas suas methodos & posicio-
nes, illis, quæ aliter ſeſe habent, non solum apud ſe ipsos an-
teferre ſoleant: sed etiam quacunque, non magis datâ, quam
arreptâ occaſione, illas diversas infectari, & tam rebus, quam
hominibus, apud imperitos contemtum moliri: hi ſi melio-
rum illorum patientiæ tandem vim faciant, & defecuum
propriorum ſuorum placitorum, démonſtrationes extun-
dant, quid poſſunt inde expectare, quam ſui quoque circa
talia existimationis detrimentum: quare fit, ut ſicut illi alios
apud imperitam plebem, ita hi ipsos apud peritorum co-

hortem, contemtui exponant: adeoque tandem utrinque, non tam solum personarum amplius, sed ipsius Artis ludibriū, radices agat. Tanto gravius autem est, quando utrinque, imò è pluribus lateribus eccentricis inter se dissidentes, & reciprocè frivolis aut malè fundatis opinionibus dissidentes, inter se collisi, rationum suarum fragilitatem, tanquam siculnea arma, publicis hominum judiciis denudant: & commonstrando, quod neuter veritatem assecutus sit, duo insignia incommopa incurront: nempe, ut non solum qualicunque estimatione suæ perspicacitatis excidant, qua nempe in detegendis nœvis opinionum adversarum usi esse poterant: Sed etiam, pariter incommodam novam thesin, ejusque deductionem substituendo, illius defectus, quem in altero acerbe perstringunt, nempe rationis aut experientiae, se ipsos obstringant & obnoxios reddant. Interim & objectum, circa quod hi dissensus versantur, & effectus, quos post se trahunt, non respondent illi sive opinionum, sive utique existimationis personarum ipsarum, levitati: quandoquidem sanè eū qui imprudenter agendo, conservandæ bonæ de se opinioonis immemor est, ejus jacturam experiri, nemini hominum iniquum videri potest: sed per dissensum Medicorum, ejusque causas hactenus notatas, sanitatem amissam non modo non recuperari, sed etiam quamlibet meliorem viam, imò universam spem illius sternendæ atque communienda, everti ac intercipi, illud sanè iniquissimum, & prorsus intolerandum meritò haberi debet.

Manifesta sunt hæc, & sane dolenda; sed & consilii & auxillii expertia sunt, nisi quod feliciora tempora postera pollicentur. Ergò, dices, melius fuerit in re, remedium non ferente, etiam ipsa odiosa mentione supercedisse. Ego vero diversum sentio; ratus videlicet expedire, ut ad minimum ingenii animis quæcumque occasio prebeatur, imò stimulus addatur, animoso ausu, & sociâ tandem operâ, pro virili eò enitendi, ut tandem desperatio illa omnis expectatissimæ ac justissimæ opis ac emendationis, ad minimum interpelletur,

tur, & in locum turpissimæ illius, non pusillanimitatis, sed verius ignaviæ, tam seriam rem, quæ sanitatem atque vitam proximi concernat, indefesso studio emendandi atque juvandi, tandem meliores conatus succedant. Studio utiq; , solertiâ, doctrinâ, assiduitate, circumspectione, ratione atque comparatione, & attentissimæ experientiæ observatione, imò locupletis illius antiquæ experientiæ elucubratione atque consultatione, opus hic erit; sed non deerit etiam operæ suum pretium; si non laus & qualisunque bona existimatio, de qua tamen apud posteritatem desperari non debet, quemcunque etiam ista tangere possint: certè tamen bona conscientia, in hisce rebus, præprimis vel juramento Medici sanætis, & ipsi in cumbentibus, nihil à se neglectum, atque prætermissum esse.

Cum vero invidia nullis magis, quam laudabilibus ac utilibus cœptis immineat, qui hujus impotentiam, nondum satis perspectam, nec dum aspernari & contemnere didicunt, ne à laudabili sua, si nempe invidiæ metus abesset, in medium consulendi intentione dimoveantur, iis cautelæ loco inservire poterit, ut, quantâ fieri potest verborum moderatione, circâ res ipsas solum sententiam suam in medium proponant: illis vero, quibus liberius, non solum inscitæ, sed etiam malitiæ refragari indifferens est, per se jam innotuit, quod his cautelis invigilare, non quidem inutile, sed non æquè nefarium, imo neque semper honestum sit.

Illud autem quam maxime utique optandum esset, ut de quibus loquimur, Viri his rebus idonei, animis atque moribus ingenuis & liberalibus, & studiis etiam sufficientibus instructi, talia quidem in se fusciperent; è contra, qui variis respectibus hisce rebus minus valent, iisdem superfederent. Ita non solum, minus esset Scriptorum, sed minus etiam in arte offendiculorum, imò confusionum. Ne frustra hoc dicere videar, & veluti cum umbris pugnare, provoco ad turbam illam, non opinionum tantum de Febribus, quæ inde ab Helmontii temporibus medicinam nostram involarunt; Sed statim opinioribus

nibus talibus superficierum Praxeis, in morbis tam periculosis, perplexis, precipitibus, per tempora sua ingravescientibus, ubi rarissime sit locus insignem aliquem errorem corrigendi, nedum bis peccandi. Ibi modo incandescentia, nempe tumultuaria, Archæi: modo fermentatio Gastica & Blæstica ipsius & Willifii, modo Proteo mutabiliores vitiosæ effervescentiae bilis & succi Pancreatici, & hinc Hydræ fœcunditate pullulantes μύριοι sapores: modo scintillæ illæ flammulae cordis, post Willifium, Jonæsi: modo coagulationes sanguinis, Bonte-Kœi: modo nescio quæ ex universis hisce rebus, & mechanicis aliis conceptibus metaphoræ, metamorphoses, mixturæ, bonæ ἐκλέξεις, sed male συλλογαι, variorum. Quot & quantæ speculations non invaserunt etiam reliquam universam energiam & efficaciam oeconomiae corporis, quatenus ad salutares conservations vitales, non utilis solum atque necessaria est, sed exquisite etiam apta ac proportionata: modo directio organica, tum sponte bene instruatur, tum à medico & attendatur & promoveatur: Quæ omnes, tam universis illis phantasias de Februum natura, quam innumeris aliis hujusmodi commentis, ita damnatae atque rejectæ sunt, ut non, nisi νοσησι, ab ipso morbo provectæ, quibus proinde secundum juftam consequentiam obsistendum potius sit, insimulatae: eo ipso vero & vera historia variorum santicorum affectuum, & vera pathologia, & tanto magis omnis solida & rationalis Therapia, omnis justa & tempestiva prognosis: Imò denique verax atque efficax pharmacia: in confusiones insuperabiles projectæ sunt; In Praxi vero clinica, omnium bonorum justo dolore atque indignatione, illa quæ Hippocrates jam suo tempore detestatus est, contradictiones, concertationes, lacerationes mutuae, quotunque concurrunt medicorum, coram & clam, præsentium, absentium: & ex his omnibus, non solum contemptus, sed etiam ludibrium & opprobrium totius artis, tam apud plebem, quam eminentis etiam dignitatis homines, evenerunt, & quam maxime indies eveniunt. Profecto certum me esse

con-

confido, quod apud omnes cordatos hæc tanta Artis nostræ incommoda, detrimenta, imò opprobria tantum valitura sint, ut me ad emendationem harum rerum & cohortantem, & pro viribus connitentem, ab omni, sive invidiæ, sive arrogantiæ suspicione absolvant. Pluris certe interest, ut non magis veritatis, quam publicæ patientium utilitatis, imò securitatis, ratio habeatur, quam privatorum, & quod sperare fas est, etiam paucorum illorum, autoritatis ac opinionis. Confido verò benedicturum his rebus Deum, & subventurum diem, & judicium intemeratum posteritatis.

Præmittere hæc placuit Disputationi Inaugurali de Venæ sectione in Acutis, materia non minore inter Medicos disfensu vexata, quam habiturus est propediem.

DN. JOHANN. WOLFGANGUS LOGES,

NETLINGA - HILDESIENSIS,
Medicinae Practicus & Candidatus dignissimus,

DE cujus honesta prosapia, liberali educatione, & studiis optimè excultis, ut, recepto laudabili more, aliqua in publicum proferamus, Natus ille est, parentibus, Viro Pl. Rever. DN. HENRICO LOGES, Pastero Netlingense, ministerii Præfectoriae Steurwaldensis Seniore optime merito; Matre, virtutibus sexum suum decentibus conspicua, ANNA MARIA, B. DN. CAPISTRI Königs/ Solschenium Ecclesiastis meritissimi, filia. Hi parentes optimi, non solùm ab ineunte ætate pietate atque bonis moribus imbuere filium charissimum corde habuerunt; sed postquam etiam eò ætatis pervenit, ut rudimenta prima studiorum subire posset, domesticis Præceptoribus eundem informandum commiserunt, donec classicis præceptis idoneus, in Celeberrimum Gymnasium

F

Hil-

Hildesienſe Andreanum transmissus, Clariss. Virorum t.t.
illius Directorum, Rectorum, Con-Rectorum, manuduc-
tione fidelissima potitus, ad altiora studia ita præparatus
eret, ut Academiam, pro medico studio excolendo, cum
fructu adire valeret. Celebrat autem ex his grata memoria,
DN. JOH. WEISSENBORNIUM, postea Th. Doct.
& Jen. Superintendentem, nunc B., DN. M. LOSIUM,
nunc Gymn. Directorem, DN. ANSPURGIUM, jam
Hannoveranæ Scholæ Rectorem, DN. SCHWENZE-
LIUM, Correctorem p.m., DN. LANGIUM, Canto-
rem, nec non DN. HOLTZHEUER, Arithmeticæ &
Algebraica docentem. Integro itaque decennio ibi pera-
cto, tandem Celeberrimam Philuream adiit, ubi totum stu-
diis applicans animum, Mathematica varia collegia atque
exercitia in Geometricis, Astronomicis, sphæricis &c. habuit,
privatum apud Excell. DN. WERNHERUM, DIZE-
LIUM, SCHELLIUM; & publice CYPRIANUM
in Physicis, HARDTIUM in Metaphysicis, in Medicis
B. D. N. D. LANGII manuductione ac institutione lo-
cupletissima potitus, universam doctrinam medicam, Cur-
fu, ut loquuntur, etiam secundò repetito, auribus animo-
que exceptit, & Chymico-Pharmaceuticas Demonstrationes
apud ipsum vidi atque comprehendit. Reliquos celeberr.
Profess. sive privatum sive publice docerent, cum studio quo-
que fecutus est, siquidem B. D. N. D. FRISII prælectio-
nes in Aph. Hipp. & morbos ventriculi; D. N. D. BOH-
NII de Aff. Thor. Medicina forense, morbis capitidis, oris,
faucium: D. N. D. PETERMANNUM, Sectiones tres
cadaverum utriusque sexus celebrantem, & Nuckii experi-
menta chirurgica illustrantem, D. N. D. RIVINUM Phy-
siologica, Pathologica, Botanica tradentem, B. D. D. ORT-
LOBIUM Chirurgica, D. D. SCHAMBERGIUM,
Chymica & Physiologica explicantes, percepit: Privatis
Collegiis interfuit, B. ORTLOBII Chirurgico, D. D.
SCHAMBERGERI Pharmaceutico, & Phys. Experim. D.
D.


D. WELSCHII Anatomico, Botanico, & in Materia medicam, D. D. SCHACHERI, Physiologico, Chirurgicarum operationum, & Anatomiae in meris humanis cadaveribus, demonstrativo; D. D. ETTMULLERI, in materiam medicam, & de Physicis Disputantis, D. D. ERNDL, & DN. M. NABOTHI, Medicinae Candidati, Botanicis excursionibus. Publicum etiam specimen eruditionis suæ, Disputationem de mortuis ex Affectionibus, sub præsidio DN. M. TRÜBE, strenuè defendit. His laboribus cum proxime quatuor annos consumisset, studio Medico Practico quoque optato excolendo, pulcherrimam occasionem natus est, dum Viri Exc. atque Exper. DN. VOLCKMARI BODENII Archiatri Moguntini & Schwarzburgici, Greuse Medicinam feliciter exercentis, cognatione etiam ipsi juncti, convictu potius, manuductionem verè clinicam, nempe ad ipsos patientium lectos obtinuit, simulque & medicamenta, quibus Practicus hic Veteranus, à diuturna & constanti experientia fidere didicit, & quæ vel sibi foli haeretens reservaverat, ex benevolia ejus & commendatione & communicatione comprehendit, atque debitam illorum præparationem non magis vidit & confexit, quam ipse met, juvit atque exercuit: Quamobrem se Viro ita optimè de fæse merito plurimum obstrictum agnoscit. Cum hinc in animum induxisset Academias etiam Celeberrimas, Jenensem & Erfurtensem, videre, accessit non solum illas, sed & expertus ibidem est, tam Celeberrimorum Professorum, quam aliorum Doctorum maximum favorem ac humanitatem: Jenæque Anatomiam gravidæ simul perlustravit. Profectus inde est ad celebres illas Herzyniae sylvæ fodinas atque officinas metallicas; ubi, ferventibus operis, velut universas operations metallarias, simul confexit. Tandem in patriam reversus, Praxin aggressus est Peinæ, eamque non magis in urbe, quam circumjacente ditione felicem expertus, ad impetranda Jura atque Privilegia Doctoralia animum applicuit. Accessit hoc consilio Regiam nostram Fridericianam, aperte ruit


ruit modestè honestum suum desiderium nostræ Facultati, &
ut ad consveta examina ac specimina admitteretur, rogavit.
Quæ cum ipsi patuissent, profectus in arte nostra revera o-
mni laude dignos, & qui, quæ petit Jura atque Honores,
mereri possint ac tueri, nobis exhibuit, unde etiam pro ulti-
mo publico specimine, cathedralm solennem ipsi aperuimus,
in qua Dissertationem de VENÆ SECTIONE IN FE-
BRIBUS A C U T I S publicè ventilandam sibi sumsis.
Quod cum sub meo, h. t. Facult. Decani præsidio, XII. die
M. c. fieri, volente Deo, debeat, Illustrisimos, Illustres, Ma-
gnificos, Pl. Reverendos, Excellentissimos, Experientissi-
mos, Amplissimos, utriusque Reipublicæ Proceres, Sena-
tores, Cives, Hospites, quibus par est obsequiis, observan-
tia, officiis, humanitate demerendos, officii nomine invito.

P. P. Sub Sigillo Facult. Hal. Magd. X. Junii

MDCCIII.

L. S.





Uc 787


ULB Halle
002 169 568



3

St.

KDZP
VDM



30

GEORGII ERNESTI STAHL,
D. ET PROF. PUBL. ORDIN. FACULTAT.
h. t. DECANI,
PROPEMPTICON INAUGURALE
DE
DISSENSU
MEDICORUM.